

DE EPISCOPIS ET CLERICIS ET ORPHANOTROPHIS ET BREPHOTROPHIS
ET XENODOCHIS ET ASCETERIIS ET MONACHIS ET PRIVILEGIO EORUM
ET CASTRENSI PECULIO ET DE REDIMENDIS CAPTIVIS
ET DE NUPTIIS CLERICORUM VETITIS SEU PERMISSIS.

1.3.1

Imp. Constantius A. clericis salutem dicit

Iuxta sanctionem, quam dudum meruistis, et vos et mancipia
vestra nullus novis collationibus obligabit, sed
vacatione gaudebitis. praeterea neque hospites suscipietis.

D. VI k. Sept. Placido et Romulo conss. [a. 343]

1.3.2

Idem A. Felici episcopo

Omnis a clericis indebitae
conventionis iniuria et iniquae exactionis
repellatur improbitas nullaque conventio sit circa eos
munerum sordidorum. et cum negotiatores ad aliquam
praestationem competentem vocantur, ab his universis
istiusmodi strepitus conquiescat. si quid enim
vel parsimonia vel provisione vel mercatura, honestati
tamen conscia, congesserint, in usum pauperum atque
egentium ministrari oportet aut id, quod ex eorundem
ergasteriis vel tabernis conquiri potuerit et colligi,
collectum id religionis aestiment lucrum.

1 ¶ Verum etiam hominibus eorundem, qui operam in
mercimoniis habent, divi principis, id est nostri genitoris,
statuta multimoda observatione caverunt, ut idem
clerici privilegiis pluribus redundarent.

2 ¶ Itaque extraordinariorum a praedictis necessitas atque
omnis molestia conquiescat.

3 ¶ Ad parangariarum quoque praestationem non vocentur
nec eorundem facultates atque substantiae.

4 ¶ Omnibus clericis huiusmodi
praerogativa succurrat, ut coniugia clericorum
ac liberi quoque et ministeria, id est mares pariter
ac feminae, eorumque etiam filii immunes semper
ab huiusmodi muneribus perseverent.

*D. VIII id. Dec. Mediolano. Lecta V k. Ian. apud acta.
Constantio A. VIII et Iuliano C. II conss. [a. 357]*